



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas
Gregorii IX. P. M.**

Zoesius, Hendrik

Coloniae Agrippinae, 1691

Titulus XVI. De Deposito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

TITULUS XVI.

De Deposito.

SUMMARIUM.

1. Depositi quid?

2. 3. Depositi actio directa ad quid datur, & ad quid contraria.

Depositum est contractus, quo res alteri gratis custodienda datur. Habet locum in rebus mobilibus, secundum nomen, etiam Ecclesie, quia non tam subest detrimentum, quam beneficium. Ad Custodiendam tantum datur non concessio usus, nisi aliter convenerit, etiam tacite, ut si pecunia non obsignata deponatur, l. Die 25. in fine D. h. t.

2 Duplex hinc actio est. Directa Deponenti datur, qua reperat depositum quandocumque, cum ei beneficium fiat, quod non datur invito; restituendum in specie, etiam pecunia numerata deposita, quatenus consignata, aut in specie deposita: nam si ad certam summam, non habita ratione specierum, summam in communi aestimatione reddi sufficit Bart. in l. Paulus 99. in fine D. De solut. Competit & eadem actio ad rei deteriorationem aut amissionem, que contingit dolo vel lata culpa depositarii; neque enim ultra tenetur, qui beneficium alteri prestat. De levi tunc tenetur, si deposito se obtulerit, quia promittere videtur diligentiam, aut pro custodia quid receperit, c. 2. h. t. quia tunc agitur etiam depositarii commodum. Ad usuras actio tunc erit, quando in mora est depositarius, l. 2. C. eod. Est enim hic contractus bonae fidei, in quo per moram usurae veniunt, quam bona fides multatam vult. Compensationis aut deductionis exceptio non juvat depositarium, propter perjurii periculum, quod promissio restitutionis ipsius rei ad libitum deponentis non ferat moram, quam injiceret ejusmodi exceptio, d. c. 2. Datur tantum contra ipsum depositarium, etiam Clericum, cujus nomine non potest impeti Ecclesia, que non debet gravari facto alieno, etiam Clerici: nisi res sit conversa in Ecclesie utilitatem, nunc enim æquum, ut qui sensit commodum, teneatur & ad onus, c. 1. h. t.

Contractus est depositario ad verus deponentem, ad id, quod nomine depositarii datur, ut quia in id impendit, aut ex vitio suo damnum accepit, ne officium suum sit illi damnosum, qua de re actum latius, D. hoc tit. & infra. Quib. modis re contrah. obl. §. Præterea.

TITVLVS XVII.

De Emptione & Venditione.

SUMMARIUM.

1. Pretium in emptione quale esse debet.
2. Res qua & qualis vendi possit.
3. Dos & donata propter nuptias vendi non potest.
4. Censuræ quid & quotplex.
5. Censuræ sive redditus realis emptio licita.
6. Non obstante, quod ultra sortem quilibet tenetur.
7. Reditus personalis est & extra usuras.
8. Satisfit argumentum contrariis.
9. Censuræ ad incertum tempus sive vitium, similiter licitus.
10. An & ad certum tempus constituitur.
11. Vendi res aliena potest.
12. Quo casu venditor emptori tenetur ad restitutionem.
13. Evictio quibus casibus cesset.
14. Ab emptione-venditione abesse fructus debet.
15. Læsiō ultra dimidium iusti pretii facit rescindi contractum.
16. Remedium l. 2. C. De rescind. vend. an emptore locum habeat?
17. Læsiō qualiter tunc constituitur.
18. In quibus rebus & contractibus d. l. 2. d. 1. 2.
19. Actio ex d. l. 2. adversus quem datur.
20. Et ad quid.
21. Re perempta an sit locus huic actioni.
22. Pacta, in hoc contractu usuraria.
23. Pactum de retrahendo inter creditorem debitorem an usurarium, ad intelligendum §. h. t.
24. Actio empti-venditi cui & ad quid datur.
25. Venditor tenetur præcipue tradere rem.

Superiores contractus ad eos, qui tenentur, spectant, subjunguntur illi, qui tenentur solo incuntur, inter quos est Emptio